



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Rei Poenitentis Simplex Et Hvmilis Confessio

Coloniae Vbiorvm, 1645

CAP. XLII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10133

C A P. XLII.

Quod eò à te prolixius, in lacrimas fusus, orabam, quia jam meæ me nequitia fastidium ceperat; cujus jucunditates amarissimis offensionibus inquinabas, neque ullam unquam voluptatem liquidam ac puram illabi in animum sinebas. quod mirum videri non debeat in istis tetrìs ac limosis carnis oblectamentis. immo, ex eorum cœno scatebant jugiter vermes, qui acri animum morfu corroderent, neque partem aliquam quietis capere sinerent; unde intelligerem, quam miserum & amarum sit, dereliquisse te, fontem omnis dulcedinis ac suavitatis. Alienabat me etiam ab iis dolor summus, & afflictio spiritus, ex eo contracta, quod mihi veniret in mentem earum cœlestium epularum, quarum olim pinguedine saginatus erumpebam in laudes dulcissimæ caritatis tuæ: quas cum pabulo porcorum conferens, quo tum saturari cupiebam nec poteram, præ dolore sentiebam viscerum meorum mihi partem abrumpi. Neque tamen, his cogitationibus stimulatùs ac confossus, pedem ex illo cœno referebam, neque dicebam, Surgam, & ibo ad patrem meum & dicam illi, fac me sicut unum de mercenariis tuis, qui abundant in domo tua panibus: quia auxilium gratiæ tuæ non aderat. Illud vero erat mirandum, quod ex vetere mea consuetudine non cessabam, pauperum tuorum inopiam elemosynis sublevare, neque intermittebam, semel à me susceptum, te quotidie deprecandi, meque verberandi, morem exercere; cum sæpius audissem, atque ipse etiam legissem, quod si distribuam in cibos pauperum omnes faculta-